

Nechi, nec non regum Judæorum Josiæ, & successorum
 quorundam, ut & Nebucadnezaris Babyloniorum Impe-
 ratoris. Necus Rex Ægypti adscendit contra regem
 Assyriæ, bellumq; gessit A. M. 3394. & A. C. N. 610. ad-
 versus ipsum, & contendit ad Euphratem, ut Carcemi-
 schum oppugnaret 2. Reg. XXIII. 29. 2. Chron. XXXV.
 20. 21. 22. Carcemischum Sennacheribi tempore ab As-
 syriis fuit possessa, quod patet ex Jes. X. 9. sed sublato
 eorum imperio ad Babyloniorum ditionem cum aliis plu-
 ribus rediisse videtur, quare & Nabopallassar rex Baby-
 loniæ a Sacro Scriptore rex Assyriæ est appellatus Jo-
 seph. Lib. X. Antiqv. Cap. VI. eandem historiam descri-
 pturus dixit: *Nechum contra Medos & Babylonios, qui Assyri-
 orum imperium everterunt, pugnare voluisse* conf. Usser. An-
 nales p. m. 66. Josias rex Judæorum denegavit Ægypti-
 orum regi Neco transitum per terram suam, qua ratio-
 ne hoc fecerit, incertum est, id refert scriptura, Josi-
 am regem occurrisse Neco, & in convalle Megidduntis
 fuisse occisum 2. Reg. XXIII. 29. 30. 2. Chron. XXXV.
 22. 28. Herodotus sine dubio idem prælium descripsit L. 2.
 Cap. CLIX. his verbis: *Necus terrestri acie congressus cum
 Syris in Magdalo victoria potitus est, & post prælium Cadytin
 magnam Syriæ urbem cepit.* Doctissimus Scaliger notat,
 Cadytin fuisse Kadesch, quem sequitur doctissimus Cle-
 ricus. Alii contra existimant, intelligendam esse Hie-
 rosolymam quæ & *Kaduscha* vel *Kadischa* sancta olim ap-
 pellata est. Clarissimus quidem Relandus in Palæstina.
 L. 3. p. 669. illam sententiam impugnat rationibus non
 spernendis, sed eandem quoq; defendi. cl. autor Obser-
 vationis de Cadyti magna Syriæ urbe conf. Buddei Hist.
 Eccles. Tom. II. Part. II. Sect. IV. §. XXVI. p. 569. mor-
 tuo rege piissimo Josia, res Judæorum ad interitum ru-
 ere